UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illvstrivm Virorvm Poemata

Cesarini, Virginio

Antverpiae, 1662

Ad Flavivm Chisivm Alexandri VII. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-7990

Visual Library

AD FLAVIVM CHISIVM ALEXANDRI VII. PONT. OPT. MAX. FRATRIS FILIVM.

PHæbus vbi primùm reuehit cum luce labores,
Redux ab orbe ſuaueolentis Indiæ,
Eius ab aſpectu pendet prænoſcere ſollers
Ligur magiſter atque arator Appulus,
Quid pelago campiſq; niger denuntiet Eurus,
Orioniſq; triſte ſidus apparet.
Nam ſi nubilus obducat caligine vultum,
Vterque cautus abſtinet periculo;
Sin autem extulerit nebulis roſea ora fugatis,
Hic alligare vomeri boues, at hic
Soluere veliuolam properat de litore puppim,
Rates & æquor execrante coniuge.
Haud aliter te, qui priſcum genus indole pulcrâ,
Et ore, ſuauibuſq; moribus refers,

Vt nitidum os, Flavi, diuino lumine vidit
Recentis extuliſſe more ſideris,
Suſpexit Roma, eſtq́; animo prudente futuri
Dies ſibi augurata candidiſsimos.
Latè humiles terras animo nam deſpicis alto,
Cupidinumq́; vulgus impotentium
Sub pedibus premis, infelix quibus acta iuuentus
Tumet furente peius Adriatico.
Vnus amor recti, virtutis te decor vnus
Iuuat, pudorq́;, comitaſq́; Chiſia:
Degeneremq́; vocas, veterum qui iactat auorum
Iners propago nomen atque imagines.
Quare hominum ſtudia, ac dulces ante omnia Muſæ,
Nouam micare quando ſpem vident ſibi,
Erexere animos. Tu Diuas excipe blando
Domeſticam ſecutæ gloriam ſinu.
Scilicet Auguſti referentem nomen & artes
Virum memento ſanguinis decus tui.
Qui niſi regali iuſsiſſet mente beatum
Patere limen hoſpitale vatibus,
Egregios vt auos, & auos numeraret auorum,
Vt eſſet ampla res, opeſq́; Chiſiæ,
Frigidus, heu, mutuſq́; foret ſine nomine puluis,
Per ora nec volaret inclytus virûm.

Quam

Quamquam operæ precium priſcorum ingentia non eſt
Referre facta Patrum, vbi præit ſuis
Maximus auctor ALEXANDER, *qui cum pietate*
Suáq; ſorte robur æquat ingenI.
Ille vides vt ſæpè iubet ſecedere curas,
Onuſq; ponit, & reclinat in ſinum
Muſarum. Hæ ſolio nimirum cum Themide ipsâ
Sororibuſq; pulcer aßident chorus.
Credo equidem: neq; enim ingenijs fuit hoſpita ſacris
Pudor vireta linquere & iugum biceps
Pro Vaticano, pro dulci collè Quirini,
Vbi perennis aura veris intepet.
Nec minùs intereà populis aſſueſce regendis,
Id approbante, qui benignus imperI
Te vocat in partem rerumq; arcana, ſecutus
Quod omnium ſupremus arbiter Deus
Suadet, ALEXANDRI *qui res, & facta reliquit*
Sibi, ſuoq; temperanda numine:
At regere imperio volucres elementa miniſtros,
Polumq; iußit, & rotare ſidera.
Iamq; decus, patrio tibi quod promittitur aſtro,
Et expetita feruidis Quiritium
Votis alma dies aderit, cùm Romula pubes
Metu ſoluta, triſtibuſq; nænijs,

Te proceres inter Latios, ſpem Tybridis altam,
Honore cernet eminere debito.
Mox linquentem vrbem comitabitur omine læto
Iter precata molle; ſeu iubeberis
Ire Alpes vltra, ſeu te committere ponto,
Etruſca præter & volare litora.
Olim namque tibi Regum componere dextras
Deus reſeruat, & ligare mutuo
Fœdere in excidium Thracum, tua iuſſa ſequente
Per æquora alta me, per Alpium iuga.
Tum mihi, tum magnis pia vatibus arma viciſſim
Canentur arma, fortiumq; dexteræ,
Queis feret auſpicibus Solymæo dona ſepulcro
Ab occidente vectus hoſpes vltimo.
Medus ALEXANDRO *tunc demũ ac Thracia ſupplex*
Sacros fidelis oſculabitur pedes.

CLEO-